

ficca, quæ quo magis intenditur, neruosum genus vnâ cum musculis magis contrahit, etiam si sensum partis interdum minuat, & motum voluntarium impediat, quod in conuulsione ab inanitione accidere poterit, si affectus augeatur. Quare videtur hæc affectio conuulsio coniuncta cum Paralyfi sensus magis quàm vera Paralyfis. Intemperies frigida humida plerumq; est cum humore pituitoso, interdum sine humore, qualis Paralyfis ijs accidit, qui diu in aëre aut aqua frigida commorati sunt. Item ex contactu Torpedinis piscis: aut ex immodico vsu opij, aliorumq; narcoticorum & frigidorum medicamentorum, &c.

10. Secundum genus morbi vnde paralyfis, est solutio continui, & primario est vulnus & sectio spinæ, partisq; neruosæ per transfuersum, item contritione à grauissima contusione. Tertium genus morbi est angustia meatuum, siue viæ spirituum per spinam & neruos. Ea est vel obstructio, vel compressio, vel constipatio aliqua spinæ vel nerui. Verùm ab obstructione spinalis medullæ, secundum medullarem substantiam vt plurimum excitatur paralyfis. Oritur autem illa obstructio neruorum & spinæ potissimum ex pituitoso humore defluente à cerebro ad neruos, aut transmissio à ventriculis cerebri ad spinam & neruos, quod euenire consuevit dum Apoplexia in paralyfin, siue *παρωληψία* transmutatur. Fieri etiam poterit obstructio à Melancholico humore, vel à sanguine pituitoso, aut à mixto humore collecto circa medullarem substantiam neruorum, nunquam propriè à sincera bile, aut ab acri, calido, tenuiq; humore, qui neruos magis ad motum stimulat, quàm relaxat, & immobiles reddit.

11. Attamen Paulus & alij mentionem faciunt Paralyfis cuiusdam contractæ ex colica pestilenti biliosa per translationem materiæ ad neruos. Sed in illa perijt motus tantum, manente sensu. Deinde causa peralyfis illius videtur non fuisse

N

isse